



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros
Decretalium, Tomus ...**

In Librum IV. Decretalium, per viginti, & unum Titulos distributum, De
Sponsalibus, Et Matrimoniis, eorumque impedimentis, ac dispensationibus,

...

Schlüter, Georg

Augustæ Vindelicorum, 1702

Articulus I. Quid, & quotuplex sit cognatio Legalis?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73058](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73058)

ARTICULUS I.

Quid, & quotuplex sit cognatio Legalis?

1118. Cognatio legalis est conjunctio, seu propinquitas Personarum; dispositione legum proveniens ex adoptione. Hæc cognatio in triplici specie est. Prima in linea recta inter eos, qui parentum, & liberorum loco sunt, ut inter adoptantem, & adoptatum. *¶ Ergo non omnes 1. & 2. Inter eas 2. Instit. de nuptiis. L. adoptivus. 14. L. per adoptionem. 17. & L. quin etiam 55. ff. de ritu nuptiarum.* Secunda in linea laterali, sive transversali inter adoptatum, & filios naturales adoptantis. *¶ Inter eas 2. Instit. de nuptiis. & L. per adoptionem. 17. ff. de ritu nuptiarum. c. per adoptionem. 30. q. 3. & c. unico, de adoptione Legali:* Tertia est inter adoptantem, & uxorem adoptati, ac inter adoptatum, & uxorem adoptantis. *L. adoptivus ff. de ritu nuptiarum. ibi: adoptivus filius; si emancipetur, eam, quæ Patrii uxor est, ducere non potest; quia Noverca locum habet.* Hæc est quædam legalis affinitas, similitudine affinitatis carnalis. Porro, quæ necessaria sunt, ut adoptio legitime fiat, videri possunt apud Vincentium de Justis. *l. 2. de dispens. matr. c. 6. à n. 7.* quæ verò sint differentia inter adoptionem perfectam, & imperfectam, à n. 21.

ARTICULUS II.

An, & quo jure cognatio Legalis dirimat matrimonium?

1119. Cognationem legalem esse impedimentum dirimens matrimonium contrahendum, aut eâ stante, contractum à legaliter propinquis, constat. *1. ex c. Ita diligere. 30. q. 3.* ubi Nicolaus Pontifex ait, *filios spirituales, naturalibus copulari non posse* (intellige matrimonio) rationem dat: *quandoquidem nec inter eos, qui naturâ, & eos, qui adoptione filii sunt, venerande Romane leges matrimonia contrahi permittunt; & 2. sequenti. ibi: si ergo inter eos non contrahitur matrimonium, quos adoptio conjungit. & c. 2. ex c. Post susceptum. ead. causâ & quest. ibi: post susceptum vero filium, vel filiam spirituales, qui ex compatre, vel commatre nati fuerint, matrimonio conjungi non possunt;*

quia leges seculi, non emancipatos, adoptivis prohibent copulari. 3. ex c. unico de cognat. legali. ibi: si qua per adoptionem soror mihi esse ceperit, quamdiu durat adoptio, inter me, & ipsam nuptiæ consistere non possunt. Ex his Colliges, cognationem legalem esse impedimentum dirimens, non jure naturali, & divino, sed solum Ecclesiastico. Nam ipsi sacri canones se fundant in solis legibus, ut ex dictis patet; quæ, etsi, in quantum procedunt a potestate Laica, vim non habeant in ordine ad matrimonia fidelium; vim tamen dirimendi habent, in quantum canonizata sunt, seu in vim canonum assumptæ à summis Pontificibus.

Dubitari autem potest, an quælibet species cognationis legalis præstet impedimentum dirimens? *¶ de prima specie (quæ est inter adoptantem, & adoptatum) communiter affirmari. 1. ex cit. c. Ita diligere, ibi: qui adoptione filii sunt. 2. ex eodem. 2. sequenti. ibi: quos adoptio conjungit: idem est de secunda specie, quæ est inter liberos naturales adoptantis, & adoptivos, ut patet ex cit. c. & aperte constat ex cit. c. unico in n. priori: de affinitate legali, cum non extet specialis textus in jure canonico, non æquè constat ex jure; secus ex communi consensu Doctorum, se fundantium in eo, quod Rubrica tituli agentis de hoc impedimento, tum etiam plures textus generaliter loquantur, ut patet ex c. Ita diligere, ibi: quos adoptio conjungit; idem est in cit. c. Post susceptum; accedit, quod hujus expressa mentio fiat in L. adoptivus, relata n. præced. quæ lex à sacris canonibus recepta est.*

Dubitatio altera est, an hoc impedimentum nascatur etiam ex adoptione simpliciter, seu imperfecta? *¶ quod affirmativam sequatur Castropalaus de spons. d. 4. p. 9. n. 9.* quia textus statuens hoc impedimentum, absolute loquitur de adoptione legali; sed adoptio, quantumvis imperfecta, est vera adoptio, licet adoptatum non constituat sub familia, & potestate adoptantis; ergo. Hanc sententiam probabilem judicat Sanchez *l. 7. d. 63. n. 8.*

Probabilius tamen videtur, eam nasci ex sola adoptione plena, seu perfecta, nimirum arrogatione; ita Sanchez *cit. n. 29.* Layman. *l. 5. tr. 10. p. 4. c. 7. n. 3;* Zoësius *de adoption. legali. n. 2.* Tum quia hoc